

# DE CONCILIORVM OECVMENICORVM AVTHORITATE

QUESTIO THEOLOGICA, ET EX EAE THESES CATHOLICAE IN CELEBERRIMA  
Iugosladiensi Academia publicè disputandæ preside R. P. D. Ioanne Cuillonio. SS. Theologæ Doctore & Professore ordinario,  
respondente uero ad eandem R. P. M. Guilielmo Limburgio eiusdem Theologæ Baccalaureo formatu.

## Quæstio.



Vm passim hac tempestate de Concilijs controuersiae agitantur, & de eorum robore authoritateq; dispu-  
tetur, merito quæri posse uidetur, an Conclia Oecumenica tanquam decreta Diuina sint recipienda?

## Thesis I.

Episcopus Romanus B. Petri Apostoli successor Ecclesiæ quaquaverum per totū orbē diffusæ Pastor, ac Rector à Chro Opt. Max. est institutus.

II.

Nec enim summa illa gregem Dominicum pascendi potestas sic in Diuino Petro cœpit, ut in eodem definere debuerit, neque post eius mortem Ecclesia Pastoris supremi & in terris visibilis ἀρχιποιμενος cura destituta fuisse existimanda.

III.

Quem B. Petri successorem totius caput Ecclesiæ esse non modo sacri Theologi probant, sed etiam Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies post semel suscepit fidem constanter semper ad hunc diem prædicauit & credidit.

IV.

Quam confessionem Catholicam amplectuntur & hodie India & Aethiopia in Oriente, Brasilia in Occidente, Manicongum in Meridie, Iapon in Septentrio, ne ingentes illæ Provinciæ & non ita pridem ad Christi religionem mirabiliter conuersæ.

V.

Nec obstat quod falsi fratres & rebelles filij nonnulli hic uelut in lapidem offensionis impingentes hunc D. Petri primatum impugnant, ut Donatistæ tem-  
pore Augustini, Græci tempore Cyrilli, Armeni tempore Leonis, & id genus alij sectarij.

VI.

Quorum latratus, & insanos clamores Doctores sacri qui illis temporibus floruerunt comprimentes eundem primatum D. Petri vindicarunt.

VII.

Quam autoritatem nouisse se patres testati sunt, dum exortas in suis Ecclesijs hæreses subinde in prouincialibus synodis damnantes sententias suas non secus  
ratas fore duxerunt, quam si Pontificis Max. accederet calculus, eiusq; autoritate, quod ipsi decreuerant, confirmaretur.

VIII.

Hac ratione scribunt consuluntq; Romanum Pontificem, Osius ex Asia, Augustinus ex Africâ, Ambrosius ex Gallia Cisalpina.

IX.

Quapropter ad hunc Romanum Episcopum spectat suborientibus aut natis hæresibus, alijq; quæstionibus de Religione grauibus incidentibus, quæ publicam  
causæ cognitionem postulare uidentur, Concilium Oecumenicum indicere & congregare.

X.

Is enim recte indicit Synodum, & cogit totam Ecclesiæ, sicut congregant familiam, ciuitatem, & regnum qui illis præsunt.

XI.

Coegerunt Synodum & Imperatores, quod tamen non ita frequens fuit, non quod sibi sumerent hanc autoritatem, sed ut ministri duntaxat & coadiutores, Ecclesiasticæ potestati nihil adimentes aut præiudicantes.

XII.

Nec ad Synodum omnes quidem ex omnibus nationibus conuocandi, sed quorum est, ac fuit semper, ius et potestas de rebus sacris iudicandi, ac definiendi, Sacerdotes uidelicet, quibus tum Diuino, tum humano iure sacra commissa sunt.

XIII.

Sic & in lege veteri, quæ nostræ quidem typus fuit, erat Sacerdotum de lege respondere, legis quæstiones ex professo tractare, atq; dissoluere. Ut hinc Propheticæ  
voce iubeatur populus de ore Sacerdotis legem requirere. Nec defuit illis Diuina promissio. Ipsi iudicabur iudicij veritatem. Quin & apud Græcos, Romanos,  
aliasq; nationes Barbaras de rebus sacris semper Sacerdotes responderunt.

XIV.

Quod ad Laicos attinet, etiam Principes interesse quidem concilio possunt, sicut Niceno interfuerunt, ad quod & Philosophi quidam Ethnici conuenerunt, uer-  
itas illis non est, nec fuit vñq; ferre suffragium, & iudicandi statuendiq; ius sibi arrogare.

XV.

Qui tametsi maiore populi Christiani partē constituant tamen nō Pastores sed oves testimandi sunt, ut pasci & regi hac in parte debeant, nō ipsi pascere ac regere.

XVI.

Episcopi sunt, si Apostolo credimus, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiæ Dei, quibus etiā competit in Synodis Doctrinam fidei, pura & impura dogmata,  
lepram & lepram discernere, de synceritate Doctrinæ iudicium ferre, ac decreta promulgare.

XVII.

Vnde Lucas ostendit Apostolos & seniores qui & Presbyteri & Episcopi apud Veteres dicebantur, ad Concilium conuenisse, tum Paulum & Barnabam cum  
Ecclesiæ peragrarent hoc in mandatis dedisse, ut traditiones præceptaq; Apostolorum & seniorum qui concilio Hierosolymitano præfuerat, custodirentur.

XVIII.

Agnouit hoc prudentissimus Imperator Theodosius qui scribens Ephesinæ Synodo. Illicitū est, inquit, eum qui nō sit ex ordine sanctorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.

XIX.

Agnouit & Valentianus his verbis, Mihi qui in sorte sum plebis, fas nō est talia studiosius perscrutari, Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, inter seipso quocunq;  
loco uoluerint conueniant.

X X.

Agnouit & Martinus Archimandrita, ad quē cum directa fuisset chartula, ut subscriberet, non acquieuit, dicens, nō est meum subscribere, Episcoporum tantū est.

X XI.

Non decet neq; expedit eā administrandæ Ecclesiæ formam uariare, atq; peruertere, quā Spiritus sanctus & in veteri lege per Moysen & Aaron & >o. Seniores  
populū iudicantes luculenter ostendit, & quam in Evangelica hactenus Apostoli & Episcopi, idest, præcipua Ecclesiæ lumina & capita constanter obseruarunt.

X XII.

Verbum Dei in Synodis haud dubiè adhibendum, & ex uero eius germanoq; sensu pronunciandum est, & ad illius amissim contouersiae examinandæ.

X XIII.

Hic uerbi Diuini intellectus nō ex priuato quorundam hominū iudicio, sed ex concordi Veterum Patrum omniumq; ætatū sensu ac consensu recte colligetur.

X XIV.

Rationi enim non est consentaneum tot Patres & tot secula, integrasq; nationes tamdiu sine scripturæ necessaria luce in tenebris iacuisse, & in verbo Dei & fal-  
fas esse & se felisse.

X XV.

Fatetur in Concilijs iudicē esse Scripturam sacram, sed ad eum sensum ferè, quo eruditè dixit Aristoteles iudicem esse legem animatam, hoc est pronunciare  
debere Episcopos ubi aperta extat Scripturæ sententia, quod ipsa habet.

X XVI.

Cum uero scripta nō sint omnia quæ Christus fecit & docuit, quæ et Apostoli prædicarū simul & decreuerunt, ut Apostolus Paulus satis ostendit, cumq; plura tū  
creditu, tum obseruatū sint necessaria, quā expresse scriptū legamus, fit ut sola scriptura ubiq; iudex esse, nec possit nec debeat.

X VII.

Sic enim tuis rerum docet & in politijs duplex ius usurpari, scripti & consuetudinis, quod prophani authores omnes passim tradunt.

X VIII.

Quare nihil impedit, quo minus & Concilia, & consuetudines, & traditiones iudicis etiā locum obtinere queant, cum Scriptura non satis lucis & perspicuitatis  
in rem præsentem porrigit.

X IX.

Concilia censemus Oecumenica & legitimè congregata quæ à Summo Pontifice Romano instituta & approbata inueniuntur, eaq; nunq; in ijs quæ fidei do-  
ctrinam tangunt, errasse res ipsa confirmat.

X X.

Aut unicum aut summum semper in Ecclesia remedium fuit Oecumenica Synodus, ad tollendas finiendasq; de Religione lites & contouersias.

X XI.

Hinc grauis de natura Christi Diuina concertatio in Niceno, & alia de Spiritu sancti Deitate in Constantinopolitano, & illa de una Christi persona in Ephesi-  
no, & alia de duabus eiusdem naturis in Chalcedonensi quæstio dissoluta, atq; suppressa est.

X XII.

Atq; ut sciamus quid de Concilijs sentire debeamus quorum in Ecclesia (Vt D. Augustini verbis vtamur) saluberrima est authoritas, certè D. Hilarius in unum  
librum ea contulit, & B. Hieronymus suis digitis apud Treuiros illa ipsa descripsit, totaq; retrò posteritas eadē in summo pretio semper habuit, & veluti certa Diuini  
Spiritus responsa atq; oracula non immerito conseruauit.

ИУДАЕИ СОГЛАСНО МОИХ ПРОГНОЗОВ  
ПРИЧИНАЮЩИХ

## АГАТИОНТУА